UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Adolescens patrio solo egreditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Visual Library

xa, eo quo potuit honore semper est prosequutus, eiq; adeó ille gratus, acceptusque erat, vt cum patrio solo egrederetur, tanta fuerit affecta tristitia, tantoq; sauciata dolore, vt luctu ferè tota consumeretur: incidens verò illa in morbũ, ex quo non conualuit, Philippi nomen in ore frequentissimè habebat, eumque quasi coram adesset, sibi nonnunquam videre videbatur.

Iesu Christi anno	Clem.VII.anno	Ætatis anno
1530.31	7.8	16.17

Adolescens patrio solo egreditur.

CVpidus B. Pater, cum sextum & decimum annum ageret, euangelicæ perfectionis, aduersa quæcũque Sanctorum exemplis excitus patientissimè tolerabat; in febrim cum incidisset, eam tam facilè tulit, vt credi vix possit, quandoquidẽ ad morbũ non modò remediũ nõ petijt vllum; sed ne ea quidẽ se vexari cuiquam aperuit? verùm vbi id

vna de feminis affinitate ſibi coniuncta aduertit, quod Philippo opus erat, quamquam ab eo non requiſita, miniſtrabat,

Quo tempore Florentiæ fuit, nõ potuit eius virtus cubiculi parietibus, domeſticiſq; tenebris diutius contineri: ſed emerſit è patria ſede, & in luce Florentię, in ore, atq; oculis clariſſimorum ciuium verſabatur, vt ab ipſis iaminde à puero Pippus bonus, ab adoleſcentia Philippus probus diceretur. Quibus rebus poſtea factum eſt, vt cũ ſparſi rumores de bonis operibus, quibus ſe Romę tradiderat, Florentiæ audirentur, hæc conciues inter ſe de eo colloquerentur: quid eſt quod miremur de his? quandoquidem ſeruatum à nobis eſt, cum ipſe hic moraretur, quàm probè, quam piè, ac religioſè in omnibus rebus perpetuò ſe geſſerit; hiſq; permoti, cupiebant ius orationibus adiuuari.

Christi 1532. 33. Clem. VII. Pap. 9. 10. Ætatis. 18. 19.

Annos decẽ & octo natus à Fran-

ciſco

cisco patre ad auunculum Romulum missus est in campaniã ad oppidum, cui à Sancto Germano nomen, ad radices sitũ montis Cassini; missus autem eò fuit non ea tantum de causa, vt mercaturam exerceret sed vt magnarum opũ, quibus auũculus afluebat, hæres institueretur. Is siquidẽ, cui præter vnũ Philippũ, nullus erat hæres, tãtum possidebat diuitiarum, vt earũ summa pergrandis esset ad viginti duorum aureorũ millia, vbi paucos moratus dies, quod timebat conscientiam lędere, longè potiorem, pręstantioremq; iã inde animo mercaturã concipiens, auunculo, omnibusque aliis Christi causa relictis, [a] quippe qui diues cũ esset, pauper pro nobis fieri voluit, Romam, vbi soluto, liberoq; animo suas omnes cogitationes, omniaq; studia in vno Deo figeret, se contulit anno post Christum natum millesimo quingẽtesimo trigesimo tertio.

Vrbẽ ingress°, domũ Galeoti Cac-

a *Imitari videtur illustrium Sãctorum exempla nẽpè Antonij Magni, cuius res gestas prosequitur S. Athanas. Hilarionis, cuius vitæ historiam S. Hier. mandat literis. Abrahæ Syri, cuius res gestas B. Ephrem conscribit, Danielis Stylitæ, de quo Metaphrastes apud Sur. tom. 6*

cij ciuis Florentini diuertit, in qua aliquot diuersatus annos non obscura dedit suæ in Deum pietatis indicia. Vitam victu asperã, sed cõtinuis meditationibus suauem, ac planè cœlestem ducens simplici pane, aqua ad potum adhibita semel in die se reficiebat; nonnunquam, ne dicam sæpissimè, domandi corporis feruori cedens totum triduũ cibo abstinuit; suiipsius contemptũ perpetuò amauit. Mũdana omnia, vt Christo, cui se totũ dicârat, frueretur, animo despiciebat, semet deseruerat, semet oderat, deliciæ suæ Christus, eiusq; amori respondendi cupidus, solius Dei assidua meditatione dies, noctesq; delectabatur.

Verum his nõ contentus, vt maiore in dies, incredibiliq; Christi ardebat amore, ita hoc ipso amore stimulante, maiora agere, durioraque pati, eiusdem Christi desiderio, omnibus prorsus votis expetebat: iucundæ erant Philippo vigiliæ, sua-

ues dolores, labores expetendi, nihilque ad ſummum erat, quod Deo gratum fore putaret, quin illud amplecteretur.

Sed illud hic non inuoluam ſilẽtio, quod ſub hæc ipſa tempora eidẽ accidit. Quodam namq; die cum in itinere eſſet, obuios habuit neſcio quos homines perditis prorſus moribus: hi mali dæmonis impulſu, eius fortè allecti pulchritudine, omni depoſita verecundia caſtiſſimum adoleſcentem ad ſcelus inuitant, quos ille cum declinare, quod vehementer optabat, non poſſet, eamque ob rem dolore conficeretur, venit illico ei in mentem verbũ Dei, quod omni gladio ancipiti penetrabilius nouerat, maximam habere vim ad flagitioſorum hominũ corda emollienda. Ergo ſermone de rebus diuinis, deque peccatorũ turpitudine eos aggreſſus, illorum animos ita accendit, vt diuinorum verborũ efficacia, non ſolum omni

Conſimile prorſus leges in Vita S. Bernardini Senẽſis apud Sur. tom.3. cap.4.&5.

illa tentatione eos liberos reddiderit, atque à ſtatuto facinore reuocauerit, ſed etiam in alios Domino rẽ ſuam adiuuante, mutauerit: O miram Dei bonitatem! qui captatum venerant, maximo ipſorum bono, ab inermi adoleſcente, ſola diuini verbi prædicatione capiuntur, neq; inde diſceſſerunt antequam euomerent virus iniquitatis ſuæ.

Ieſu Chriſti anno 1534. Clem. VII. Pap. anno 11. Ætatis anno 20.

Romæ ad Philoſophiæ ſtudia tranſit.

ROmæ cum moraretur Philippus, venit illi diuinitus in mentem, philoſophiæ ſe tradere; in his tamen pietatis ſtudiũ minimè negligẽdum duxit; quamobrem ſpiritualia, quæ vocant exercitia, nulla ex parte prætermiſit vnquam, vt qui faſtidiret præſẽtia: Philoſophiæ operam dabat ille, quód Deo rem gratã ſe facere arbitrabatur, in qua

tantos